

Daniel eiusque socij, qui in silentio iacebant, captiui, afflicti, neglecti, subito eriguntur. & in excessu dignitatis gradu collocantur. Vide Dei potentiam, de quo ait diuinus citharædus Psal. 112. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, & collocet eum cū principibus, cum principibus populi sui. Veligna in profundum gurgitis proiecta non diu ita latent, quin ad limum ascendunt, & appareant in sublimi: sic viri humiles, & pui virtutibus septi non possunt diu abscondi. Nam Deus eos operiri non sinit: quin potius eorum merita ita Deo ordnante eos extollunt, vt in omni hominum cętu celebrentur. Sed inuere quod bona ex impia regis crudelitate dimanarunt. Erat aduersus sapientes inflammatus furor, spumabat ex ore scælus, anhelans immanitate, ardebant oculi, toto ex vultu crudelitas emicabat: ac ex hac ira intolerabili deduxit Deus admirabilia commoda. Daniel orauit pro inimicis, fudit ad Deū piās preces, fuit ei patefactum somnium Regis, ipse Rex in immanitatem deposuit, cognouit Dei sapientiam & bonitatem, coluit illum, intellexit mudi varietatem, & Danielem, eiusque socios debitis diuiniis ac honoribus amplificauit.

¶ Ipse autem Daniel erat in foribus regis. Hoc est, custodiebat aulam. Vel sedebat in porta regis, vt scilicet redderet ius. Ac si dicat: Erat index. Solebant enim iudices in portis vrbium sedere, & iudicia agitare. Vnde capite Deuteronomij deci mo septimo ait Deus: Si iudicium inter portas tuas videris verba variari, &c. Et capite 21. loquens de filio contumace, patri suo non obtemperante: Apprehendent, inquit, eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij. Dauid Psalmo 125. loquens de viro iusto, qui nulla afficitur ignominia, cum in iudicio disceptat: Non confundetur, inquit, cum loquetur inimicis suis in porta. Eodem modo accipitur capite 5. Amos, cum diuinus ille vates iudices eos reprehendit, qui aduersus pauperes sententiam iniuste ferebat, dicens: Pauperes deprimentes in porta. Et capite octauo Zachariæ di-

centis: Veritate in & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Et quia portæ vrbis erant loca publica, accipitur aliquando porta pro illis, vt apud psalmographum Psalmo 68. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta. Hoc est in locis publicis. Et apud Amos quinto: Odi habuerunt corripientem in porta. Hoc est concionatorem vitia publicè reprehendentem. Et apud Amos quinto: Odi arma & munitiones, accipiuntur portæ pro omnibus machinis, & instrumentis bellicis, & copiis militū armorum. Ad id alludere videtur Christus dominus apud Mathæum capite sextodecimo cum ait: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non preualebunt aduersus eam. Cùm infernus sit veluti vrbis, cuius princeps est Lucifer, per portas eius intelliguntur arma demonum, cōsilia, artes & munitiones, quibus tyranni, & hæretici, & tetri homines scelerū maculis notati, armati bella inferuē ecclesiæ catholicæ, & quæ semper oppugnant, sed nunquam expugnabunt. Fortasse portas inferorū appellat: homines impios, à quibus alij pendere videntur, qui non solum obstant, quòd ipsi corrumpuntur, sed etiā quòd alios corrumpunt, plus interdum exemplo, quàm peccato nocentes. Eam ob causam portæ tartari appellatur, quia per eos multi illuc ingrediuntur. Apostolos portas cœli appellamus, quòd eorū doctrina, vita, miraculis, exemplo, & intercessione multi intrent in cœlū, vbi Deo fruuntur. Ita enim ait capite 21. Apocalypsis beatus Ioannes: Habebat ciuitas, nimirum cœlestis, portas duodecim, & in portis Angelos significari. Præterea porta mortis idem est quod periculum captiuitatis. Tunc aliquis dicitur in porta interitus esse, cum discriminis expofitus in summo periculo mortis versatur. Ita intelligitur versus ille psalmi noni. Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis fi-

Psal. 68.

Amos 5

Mat. 16.

Apo. 21.

Psal. 9.

Pf. 112.

Similitudo,

Deu. 17

Deu. 21

Pf. 125.

Amos 9

Zach. 8.